


† R. P. Ioannes Herrmann (1849-1927).

(Prov. Parisien.)

R. P. Ioannes Herrmann natus est in Roderen, qui est viculus Alsiae, d. 14 Ian. 1849, decimus inter liberos numerosos parentum vinitorum. Primum sacerdotii et status religiosi desiderium se concepisse dicit ex sermonibus a pia matre de Beatissima Virgine ac de caelesti beatitudine religiosis parata auditis; cui desiderio incrementum dedit allatus nuntius consobrinum Franciscum Xav. Reuss, de Bergheim oriundum, S. Nicolai ad Portum familiam Alphonsianam ingressum esse. (1)



Ab ipso pio parente Ioannes filius circa a. 1862, quo primam s. communionem recepit, Patri Neubert, item Bergheimensi, oblatus est; eius consilium secutus, eodem anno studia latina incepit apud Fratres Marianitas in collegio S. Hippolyti. Quattuor annis post, ut in novitiatum Provinciae Gallico-Helveticae admitteretur, a P. Provinciali Achille Desurmont obtinuit, et veste sacra Liguoriana indutus est festo S. Teresiae a. 1866.

Magistro tirocinii utebatur Patre Monniot, qui sub habitu externo sat frigido et severo cor vere maternum gerebat, et de quo illud memorandum accepimus: ex omnibus, quos per suum triennium ad vota admisisset, neminem postea a fide Deo data defecisse. Novitus noster versus medium annum probationis diris contra vocationem temptationibus vexari coepit, quibus quo facilius liberaretur, a Superioribus per breve tempus Montem Episcopalem (*Bischenberg*) missus est. Inde post duas hebdomadas rediit, in vocatione plene confirmatus. Tamen novitiatus eius protractus est usque ad festum Immaculatae Conceptionis a. 1867, quo die totum et in perpetuum Iesu Christo et Congregationi se consecravit.

Secuti sunt octo anni studentatus, ob temporum adiuncta multum agitati. Primum Ioannes noster fere per triennium studia latina et francogallica humanitatisque prosequi debuit, tum in *Teterchen* tum in *Avon*. Bello inter Galliam et Germaniam a. 1870 orto mittitur per errorem in *Maria Hamikolt* Westfaliae, in studentatum Provinciae Germaniae Inf., inde mox in *Wittem*, ubi primum philosophiae annum peragit. A. 1871 redit in *Teterchen*; anno sequenti in *Saint Nicolas du Port* mittitur, ibi theologiae

(1) Cf. *Analecta IV*, 148.

dogmaticae biennium absoluturus duce P. Friderico Kuntz, et primum theologiae moralis annum Lectore P. Ioanne Kannengiesser. Mense Iulio a. 1875 sacerdotio initiatur statimque *Lector philosophiae* renuntiatur, philosophis in domo *Houdemont* constitutis.

Lectoratus primordia nec novo ludimagistro nec discipulis iucunda fuerunt; nam Ioannes noster, tum 26 annorum, iussus est integrum philosophiam uno anno tractare binis per diem scholis. Hanc agendi rationem non potuisse diu servari manifestum est.

Philosophiae cathedram inde ab a. 1876 mutavit cum *lectoratu theologiae dogmaticae*, quam per quadriennium primum docuit in *Avon*, quo tum studentatus translatus est. Attamen vere anni 1880 in Gallia iniqua lex expulsionis religiosorum lata est; qua de causa clerici studentes refugium quaerere coacti sunt in Hollandia illudque invenerunt partim (moralistæ) in *Borgvliet* prope *Bergen op-Zoom*, partim in *Oosterhout*. At hoc hospitium adeo tenue et miserum erat, ut studentatus iam a. 1881 in *Dongen*, item in Hollandia situm, transmigraret. Ibi fabrica derelicta in nostros usus conversa, et novis molitionibus, etiam nova bibliotheca, adiecta est.

Eo igitur libri, qui usque ad id tempus in Tourcoing in domo privata repositi fuerant, allati sunt. Cum anno 1883 P. Provincialis Desurmort, studentatum suum visitans, bibliothecae tenuitatem cognovisset, a Rño P. Generali Nic. Mauron licentiam expetivit faciendi in bibliothecae augmentum expensas solito maiores; qui veniam petitam non solum libenter dedit, sed alterum tantum pecuniae expendi voluit. Tum igitur P. Herrmann, iam antea *bibliothecarius* studentatus renuntiatus, mira diligentia et haud communi dexteritate se libris comparandis dedit, minus quidem libris et libellis auctorum recentiorum, sed eo magis operibus scriptorum antiquorum, qui de theologia dogmatica, morali, ascetica, de mariologia, S. Scriptura, iure canonico, patrologia, historia ecclesiastica et profana, philosophia bene meriti sunt. Et cum illis temporibus eiusmodi antiquitatis monumenta vulgo parum aestimarentur, confrater vero noster tenaci constantia et singulari prudentia, immo quadam calliditate praeditus esset, studentatu sua Provinciae expensis haud immodicis bibliothecam comparare potuit tanti pretii, ut viri docti eam invisentes magna admiratione affici consueverint.

Neque solae utilitatis rationes Patrem Herrmann movebant, sed fuit is vere *bibliophilus*. Hinc emit tot incunabula et editiones vetustissimas operum S. Alphonsi aliorumque magnae notae auctorum. Hinc libros emptos, si opus erat, eo pulchriore induebat veste, quo magis veneranda antiquitate et interno pretio commendabantur. Et quantopere gaudebat, praesertim in senectute, hospitibus bibliothecam invisentibus thesauros præ ceteris pretiosos monstrare et acquisitionis historiam enarrare! Quas historias eum non scriptis mandasse sane dolendum est.

Hic etiam nonnulla verba de P. Herrmann ut *infirmorum praefecto* in texere lubet. Ex quo exeunte a. 1875 P. Cyrillus Pittet, graviter aegrotans, curae eius commissus est, magis in dies apparuit, quanta charitate, quanta sollertia, quanta peritia diuturno usu firmata P. Herrmann confratres aegrotos curaret. Cum studentatus in Dongen commorabatur, loci quidem medicus vix quidquam valebat; at P. Herrmann Antverpiae invenit iuvenem doctorem Desideratum Schmits, tum nondum, ut postea, clientium caterva semper circumdatum, et ab eo permulta didicit, quae postea in curam dilectorum aegrotantium convertit.

Magis vero quam peritia artis medicae Patrem Herrmann exemplar boni infirmorum praefecti constituit eius charitas vere materna, novis semper argumentis comprobata. Omni diei et noctis hora, si quando op̄portebat, ad assistendum aegrotanti confratri praesto erat, neque unquam lamentabatur, quod molestiam subire deberet nimiam aut pretiosi temporis iacturam facere. Etiam tum, cum scribendis suis Institutionibus summe occupatus erat, suis infirmis se devovebat, quasi aliud nihil sibi faciendum esset.

Et qui tanta charitate confratribus morbo implicitis levamen et solacium afferebat, multo magis eis morientibus bonum ad aeternitatem transitum procurare satagebat. In suo conclavi conservabat quandam imaginem Matris de Perpetuo Succursu, in cuius parte aversa chartam affixerat cum nominibus illorum confratrum, qui hanc iconem manibus gestantes pie mortem obierant, Patre Herrmann praesente actusque convenientes suggestente. Nomina sunt viginti duo, inter quae etiam nomen Pl. R. P. Desurmont, anno 1898 inter brachia dilecti sui P. Herrmann emortui, et demum in charta non relictum erat spatium liberum, nisi ut ipsius infirmorum praefecti nomen posset adiungi! Merito igitur haec imago in studentatu Provinciae velut memoriale pretiosum conservatur.

Sed officia bibliothecarii et infirmorum praefecti in P. Herrmann fuisse secundaria patet; principale eius munus *lectoratus theologiae dogmaticae* fuit, cui cum sancta quadam passione se totum devovit. Primum quidem plus vitam stricte missionalem appetiverat, et iuvenis Lector haud semel Patri Provinciali se pro longinquis Oceani Pacifici missionibus obtulerat. At postquam ex P. Desurmont audivit se non ratione provisoria, sed definitiva sacro clericorum magisterio mancipatum esse, omnes libros de sacra praedicatione tractantes ad bibliothecam rettulit et se consolatus est D. Thomae effato: « Melius est erudire de pertinentibus ad salutem eos qui et in se et in aliis proficere possunt, quam simplices qui in se tantum proficere possunt. » (1)

(1) *Quaestiones quodlibetales I*, art. 14.

Circa a. 1876 *Summa theologica* D. Thomae Aquinatis a P. Desurmont clericis theologiae vacantibus manuale constitutum est; quod classicum opus utilissimum quidem erat iuvenibus peringeniosis, non item mediocris ingenii. Addendae insuper erant permultae quaestiones nostra aetate agitatae. Tandem iuxta *Angelicum Doctorem* desiderabantur nomen et dicta *Doctoris Zelantissimi, S. Alphonsi*. His de causis P. Desurmont, vel potius ipse R̄m̄us P. Mauron, a. 1887 Patri Herrmann mandavit, ut novum manuale theologiae dogmaticae, nostris praesertim usibus destinatum, redigeret. (1) Primis annis res lente processit, cum auctor triplici suo munere Lectoris, bibliothecarii, praefecti infirmorum satis iam occupatus esset. Itaque R. P. Ioannes B. Favre a Superioribus iussus est in tradenda theologia dogmatica Patris Herrmann per aliquod tempus vices gerere.

Iam velis remis confrater noster ad optatum portum properabat et occupabatur tum ipsum transscribendo suo novo de Incarnatione tractatu, cum subito eius oculi adeo debilitati sunt, ut ne verbum quidem legere posset. Duo medici ab eo consulti per annum omnem lectionem vetuerunt, sed post 10 menses visus in tantum redintegratus est, ut iterum operi se accingere posset. Terminatis omnibus tractatibus et litographice multiplicatis, opus novum omnibus nostris Lectoribus theologiae dogmaticae proponendum erat. « Tum praesertim (ita ipse in foliis de vita sua relictis) coeperunt auctoris tribulationes et angustiae. Duodecim censores! Quarta pars suffecisset! Quodsi auctor omnes criticos audisset, ne linea quidem operis remansisset! » (Manifesto P. Herrmann quandoque figura hyperboles laetatur!)

Tandem « post decem annos laboris et patientiae » *Institutiones theologiae dogmaticae auctore R. P. Herrmann* in lucem prodierunt. Operis premium principale Pius PP. X in suo Brevi Apostolico d. 1 Oct. 1908 ad auctorem dato effert his verbis: « Eo tutior atque laudabilior tua elucubratio videtur, quod Aquinatis doctrinam afferat cum Alfonsiana coniunctam, quibus ex fontibus omni argumento gravitas accedit atque amplitudo. » P. Herrmann, qui de se profiteri poterat: Omnem modernisticam *iniquitatem odio habui et abominatus sum, legem autem tuam dilexi*, (2) acriter perstrinxerat, praesertim ab editione IV operis sui, eos, qui ad res ipsas divinas innovandi libidinem transferunt. Quanto igitur gaudio eum affectum esse existimamus, cum ipsius Romani Pontificis ore se proclamatum audisset *sanae doctrinae* non solum *praeconem*, sed etim *vindicem*! Herrmannianas *Institutiones*, etsi fortasse non omnibus numeris absolutas, tamen inter tot manualia theologica hodie dum digne suum occupare locum iam

(1) Anno scholastico 1886-1887 P. Herrmann praelectiones peculiares *de erroribus nostrae aetatis* habuit, quam rem ipse vocat « felicem innovationem »; tamen cursum, qui arduo labore ei constituit, continuare non potuit.

(2) Cf. *Ps.* 118, 163.

inde apparent, quod editionis VI a. 1926 Lugduni apud Emmanuelem Vitte evulgatae iam circ. 1000 exemplaria (840 usque ad mensem Iulium 1927) vendita sunt.

Cum P. Herrmann suis Institutionibus ultimam manum apponneret, studentatus Provinciae Gallicae non iam in Dougen exsulabat, sed inde ab anno 1893 iterum in patria consederat, et quidem Thuriaci (*Thury-en-Vallons*), dioecesis Bellovacensis. — Primo mentis foetu feliciter in lucem edito, operosus vir statim alterum opus aggressus est, opus « *praedilectum* », ut ipse fatetur, et post septem annos ardui laboris prodiit a. 1904 eius amplissimus *Tractatus de Gratia*. In hoc libro auctor totus est in vindicando et illustrando gratiae systemate Alphonsiano, allegans ultra ducentos varios testes. Testimonia autem omnia hausit ex ipsis archetypis suae ditissimae bibliothecae, exceptis textibus undecim, quos Parisiis in bibliotheca nationali collegit.

Anno 1900 facta est divisio Provinciae Gallico-Helveticae in Lugdunensem et Parisiensem, et anno insequenti P. Herrmann creatus est *Rector* domus Thuriacensis, sed potius, ut ipse notat, « ad sepeliendum collegium »; nam tum temporis Combes, iste Ministrorum Praeses infelicit memoriae, denuo religiosos Gallia expellendos, quin etiam suis bonis privandos curabat. Ea de re studentatus Provinciae Parisien. iterum exsulare coactus est, hac vice benigne a Provincia Anglicā hospitio exceptus in *Bishop-Eton* (1902), ubi per quinquennium remansit. In nominationibus a. 1907 P. Herrmann apparebat Rector domus *Esschen* in Belgii finibus sitae. Quid hoc sibi vult? Collegii novi et ampli conditor, R. P. Godts, illud Superiori Provinciae Parisien. pro exsulantibus clericis obtulerat, qui oblatum beneficium grato animo accepit.

A. 1909 P. Herrmann Vocalis ad Capitulum Generale deputatus et in eo commissioni « de formatione iuuentutis » adscriptus est. Capitulo finito, cum omnes Capitulares ad conspectum Beatissimi Patris admissi essent et Rm̄us P. Raus, brevi sermone dicto, ad Pontificis manum osculandam accessisset, etiam P. Herrmann, prope stans nec palati legem curans, coram Christi Vicario in genua procubuit. « Beatissime Pater », inquit, « peculiarem benedictionem exopto pro nostris clericis studentibus; et scito me nuper novam editionem mearum Institutionum theologiae dogmaticae publicasse, in quibus assidue (!) modernistas refuto. » Tum Pius X manum in supplicantis capite posuit, dicens: *Bene, bene, bene*; mox nostri Ioannis manum firme complexus anulum osculandum dedit.

P. Rector Herrmann, domum redux, sensit visum, iam diu valde debilitatum, rapido cursu decrescere; qua de causa biennio post in Tourcoing operationem chirurgicam subire coactus est, sed paene in cassum. Exinde uno oculo plane erat caecus, altero admodum pauca percipere poterat. Privatio autem visus eo molestior et gravior ei erat, quod iam no-

vum opus, et theologicum et asceticum et concionatorium, de B. Maria V. conscribere cooperat, ut salutares S. Alphonsi de augustissima Dei Genitricie doctrinas magis diffunderet et illustraret. Quoties repetebat: « Dei singulari beneficio eximiam bibliothecam acquirere potuimus, et ea in hoc opere mariologico conficiendo uti deliciae meae fuissent. At Deus et B. Virgo id noluerunt. Fiat! » Sed quantopere hoc *Fiat* cor eius dilaceraret, facile sentiebatur.

Eo tempore et aliud sacrificium Deus ab eo postulavit. Cum enim Provincia Belgica ipsa collegio Esschen indigeret ad iuvenatum ibi collocandum, P. Herrmann denuo alibi suis clericis hospitium quaerere coactus est. Aptum fini aedificium invenit in *Valkenburg (Fauquemont)* Hollandiae, in media via situm, quae a Mosaetraiecto (*Maastricht*) ad Aquisgranum (*Aachen*) dicit. Ibi igitur studentatus Provinciae post varios casus, post tot discrimina rerum d. 15 Mart. 1911, auspiciis Cordis Iesu Eucharistici et S. Clementis, tabernacula posuit, et haec Ioanni nostro fuit ultima statio in aérumnosa vitae peregrinatione.

Festo die S. Alphonsi 1914, cum Valkenburgensis communitas ad prandium congregata esset, affertur nuntius saevum bellum exarsisse. Tribus diebus post domus quasi vacua fuit. Remansit cum perpaucis confratribus P. Herrmann, qui inde a nominationibus a. 1912 Ministri munus in communitate gerebat. Per annum etiam lectoratum sibi tam gratum iterum exercerè potuit in commodum trium clericorum Belgarum. Magno ei fuit solacio aureum professionis iubilaeum d. 8 Dec. 1917 celebratum. Desiderabatur quidem laeta iuventus, quae in domo studiorum tali festo peculiarem splendorem attribuit, sed eo plures confratres exteri e Belgio, Hollandia, Germania accurrerunt. Dum filii huius saeculi inter se occidunt, filii Dei inter se amplexantur!

Mense Augusto a. 1919 in studentatu Valkenburgensi « religio depopulata » cessavit, et Fratres e bello redeuntes laeti domus « patriarcham » salutarunt. P. Herrmann tum propter visus defctionem Ministri munus non iam exercere valebat, sed spiritu erat vegetus et corpore minime fractus, ridens dictum cuiusdam medici, qui ob arteriosclerosim iam antea ei non dederat nisi duos vitae annos. Et cum aliquando Adm. R. P. Rector querebatur miseram conditionem tot manualium involucro egentium, noster venerandus senex recordatus est se triginta annis ante religandi artem didicisse eo fine, quo melius laboribus extraneorum pro bibliotheca factis invigilare posset. Coepit igitur P. Herrmann, tum septuagenarius et paene occaecatus, libros religare, et tanta quidem industria, ut iam mense Decembri 1923 primum milliarium voluminum religatorum esset completum. Et cum mors advenisset, alii mille et centum libri et amplius ex eius officina prodierant. Quantum inde commodum pecuniarium, his praesertim temporibus, domui attulerit, nemo est qui nesciat.

P. Herrmann erat velut quercus soli patrii; corpus ei erat robustum nervique ferrei, voluntatis autem vigor vel maior. Infirmitates minores, quibus saepe saepius vexabatur, contemnere solebat, et sic novo erat argumento, quantum valeat firmae voluntatis dominium. Sed nemo est immortalis, et P. Herrmann interim unde octogesimum aetatis annum exorsus erat. Ex d. 20 Februarii h. a. 1927 minus belle se habebat, id quod pro more suo vix curabat; sed cum d. 23 mane ab altari revertisset, subito animus eum reliquit, ita ut in oratorio ad terram caderet. Medicus statim vocatus incipientem pneumoniam declarat, sed grave periculum imminere negat. Crastino autem die malum aggravatur, quare aegrotanti ultima sacramenta administrantur. Deinde continuo, diu noctuque, aliquis confrater ei asstitit. P. Herrmann plene sibi conscius erat usque ad obitum; pauca verba ad adstantes dixit, sed *semper* (hic exsulat hyperbola!) orando cum Deo et Caelicolis conversabatur. Tandem d. 1 Martii, cum mane post meditationem in variis collegii aris sacrosanctum Missae sacrificium Deo offeretur, inter preces liturgicas commendationis animae a confratre recitas in pace Christi quievit. Ita *Patronus morientium* primo die mensis sibi sacri obtinuit omnium gratiarum coronam, bonam mortem, fidelissimo suo clienti, qui primus omnium in manuali theologico *tractatum de S. Ioseph* adiunxerat.

Insequenti prima feria VI mensis id, quod in P. Herrmann mortale erat, terraे demandatum est, suo tempore gloriose, uti speramus, resuscitandum. Praeter confratres propriae Provinciae aderant deputati trium aliarum Provinciarum: Lugdunensis, Hollandicae, Germaniae Inferioris, et quattuor aliarum religionum, atque incolae loci nobis magis familiares.

---

Quoniam dilecti confratris externae vitae cursum exposuimus, placet tandem paucis lineamentis spiritualem eius imaginem depingere. In genere affirmare necesse est Patrem Herrmann fuisse *religiosum solidae virtutis*. Haud communi *patientia* res adversas perferebat, velut caecitatem paene absolutam, cui in fine etiam surditas accedebat, ita ut recreatio communis ei valde molesta redderetur. Frequenter laborabat e stomacho, e bili, bronchitide aliisque infirmitatibus corporalibus. Tamen nunquam eum videres has ob causas tristem, nunquam eum audires de his rebus querentem, nunquam eum cerneres remedia exquisita concupiscentem.

Similiter solida eius virtus *charitate fraterna* haud communi comprobatur. Sub habitu externo quandoque paullulum rudi et aspero latebat cor plenum bonitatis et amoris. Id experiebantur infirmi eius curae commissi, confratres eiusdem domus passim in suis difficultatibus ad eum confugientes, nec non confratres peregrini et exteri eius hospitio et contubernio fruentes. Etiam cum iuniore confratre colloquens nunquam suam

aetatem maorem aut auctoritatem ostentabat, sed in simplicitate cordis servititia sua fraterna exhibebat.

Quid vero dicamus de Patris Herrmann *amore erga Congregationem?* Licut natura ab omni animi mollitie remotissimus, cum de Congregatione sua dilecta loquebatur, saepenumero aegerrime temperabat a lacrimis. Ut erat familiae suae religiosae amantissimus, libenter omnes suas vires et animi et corporis iuventuti studentatus consecrabat. — Tenero affectu prosequebatur Congregationis parentem, *S. Alphonsum*. Eius salutaria scripta legerat et relegerat indeque hauserat illam artem saepe a criticis in eius Institutionibus laudatam: convertendi in communem christifidelium usum praximque vitae christianae fidei dogmata. Deus solus scit, quot quantosque labores, sudores, aerumnas subierit ad doctrinas Alphonsianas, maxime quae de gratia et oratione sunt, docendas, propagandas, vindicandas. Et procul dubio ei debetur, quod S. Fundator noster est melius cognitus, non solum a nobis, sed etiam extra Congregationem, quandoquidem Institutiones Herrmanniane in multis quoque Seminariis et Institutis religiosis in usu sunt et magni aestimantur.

Confrater noster, cum tantopere Congregationem eiusque Patrem legeriferum amaret, etiam *Regularum et Constitutionum observantissimus* erat. Dispensationes et exceptiones, etiam sponte saepiusque oblatas, non acceptabat nisi necessitate coactus. Cum tandem sibi quietem nocturnam statim post coenam indulgere coepisset, hoc clare demonstrabat eius vires valde debilitatas. Et quanta religione servabat illud praeceptum Const. 464: « Curabunt, ut nunquam non occupati sint » ! Etiam caecutiens fugiebat otium quodcumque. Laborem quaerebat et inveniebat, saltem manualem, velut in horto lapides et terram removendo, vel in conclavi libros reliquando.

Quidquid vero temporis non labori aut necessariae recreationi ac quieti dabat, illud orationi dicabat, quin etiam affirmari potest, vitae Patris Herrmann *notam characteristicam* fuisse *orationis studium*. Orabat inter laborem; a labore cum surrexisset, ad sacellum se conferebat, diu ibi commoraturus. Diebus Dominicis et hieme horis vespertinis oratorium quasi eius cella evasit. Quodsi quando in hortum exibat, tum quoque fere semper orabat. Et sicuti tenerum nutriebat affectum erga confratres, maxime aegrotos, ita etiam eius pietas erga SS. Redemptorem, B. Mariam V., S. P. N. Alphonsum mira teneritate imbuta erat. Si vero Deus tantopere in servum suum *spiritum gratiae et precum effudit*, (1) nonne in hoc cognoscimus quoddam praemium strenuo praconi et vindici doctrinae Alphonsianae, quae de gratia et preicatione est, caelitus datum?

(1) Cf. *Zach.* 12, 10.

Sperare igitur licet desideratissimum P. Herrmann post vitam eiusmodi in nostra superna familia bene fuisse receptum. Hanc quoque laetam spem fovemus eum nunc, iuxta promissum Adm. R. P. Rectori paulo ante mortem datum, orationibus suis nos adiuvare in doctrina S. P. N. Alphonsi integre servanda et in gratia perseverantiae pariter per continuam orationem obtinenda. Fiat!